

At cur frustra? An quod hæc quæstio ad rem nihil faciat? minime hercle, cum sedem animæ concernat, & inter nobiliores quæstiones haud injuria habeatur. An quod res nimis sit aperta? At non paucis difficultatibus involuta est, quas nunquam perspexisse videtur Kkus, cum quæstionem ipsam ne rite quidem formeret. An, quod per ea quæ hîc docuit, res plane in aperto sit? Ne illud quidem. Quod enim anima non uniatur corpori per contactum, id ei omne cum formis omnibus commune est: cum forma substantialis omnis tota sua substantia materiam compleat & impleat. Id quod sine extensione quadam (sive propriè sive impropriè dicta) non fit: Ut ferè quicquid hîc verborum à Kko ponitur, aut falsum, aut alienum sit. Quæ si recte cum ipsa, quam infert, conclusione compares, id velle videtur Kkus, animam non esse in toto corpore: quia extenditur ad extensionem corporis, hoc est, eò quia corpus est extensum. (Loquitur enim de extremitatibus) adeoq; extremæ illæ partes erunt inanimatæ. Aliter hercle expedienda quæstio: præsupposita v3. animæ spiritualitate. Quam sequitur indivisibilitas, & partium integrantium carentia. Quia ergo partes non habet, nequit anima secundum unam sui partem esse in capite, & alteram in corde, (id enim est habere partem extra partem alteram,) sed ubicunq; est, (est autem in omnibus partibus) ibi totam esse necesse est; plane ut Deus totus in qualibet universi parte est: quod exemplo isthoc animæ illustrat Aug. Epist. funda. cont. Manich. c. 16. Et his per Intellectum recte apprehensis, corrigenda est imaginatio, rerum divisibilium & materiatarum experimentis subnixæ. In quibus id totum alicubi esse dicitur, extra quod non potest sumi aliquid ipsius. fallit autem in immateriatis, v.g. anima, si per *Extra quod*, non intelligatur ipsa essentia illius totius, sed pars corporis intra quam est tota illa essentia. Et sic tota anima rationalis, est id, extra quod, id est, extra cujus essentiam & Entitatem non potest assumi aliquid ipsius animæ. Interim tamen extra animam totam, quæ est in capite non secundum sui partem (non enim habet partes) sed *tota*, potest assumi eadem, quatenus est in pectore, &c. Quamvis nihil extra eam sumi possit, quatenus est tota in toto. hoc enim ad essentiæ unitatem requiritur. Tota inquam in parte